

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Icones sive imagines virorum literis illustrium

Reusner, Nikolaus

Argentorati, 1587

Casparvs Crvciger

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

CASPARVS CRVCIGER

S. Th. D.



*Lipsia dat patriam: cathedram dat Leucoris alma,
Ac tumulum: nomen crux mihi sancta Dei.*

M. D. XLIIIX. I ij

**GASPAR CRVCIGER LIPSIE-
fis, Cal. Ian. natus anno M.D. IV.**

Præceptore vsus in patria Casp. Bornero, & Petro
Mosellano domestico, amplius qua-
driennio:

Colophone studijs suis VVitebergæ imposito;

Trium linguarum egregiè peritus:

Omni præterea liberali arte & doctrinâ poli-
tus: Mathematicum præsertim, & Physicæ,
& Medicinæ studijs excellens.

Summum post Doctrinæ gradum in Theolo-
gia adeptus, & Doctor salutatus:

Quam non viua solum voce, sed & scriptis,
amœniss. ingenij, & fidei sanctiss. testi-

bus, plurimum illustrauit atq;

propagauit:

Fidus Christi præco, & fidelis M. Lutheri in
opere Domini conficiendo adiutor,
& socius:

Obijt in statione sua Vitebergæ, corporis viri-
bus ingenium minimè adæquantibus, floren-
te adhuc ætate: anno vitæ confecto

XLV. salutis M. D. XLIIIX.

XVI. Nouembris.

Josephi à Pinu.

ETBOSTICHON.

Fertur in Aemonio Latona filius arcu:
Vt Cruciger sati noxia tela tulit.

IN GASP. CRVCIGERVM.

PETRI LOTICHII.

Ore tribusq̄, potens linguis, & pectore Gaspar,
Talis, adhuc vitā quum frueretur, erat.
Gaspar, ouile Dei qui rexit, vimq̄, luporum
Reppulit, & iuuit religionis opus.
Lustra sui nondum bis quinque peregerat cui:
Funere sublatus quum fuit ante diem.
Lucida nunc coram, cœlesti sede receptus,
Quæ prius ingenium calluit, astra videt.

GEORGII FABRICII.

Cui sacer est tumulus? Christo, quis condita seruat
Ossa chorus? Spes, & cum Pietate Fides.
Quis cubat hic? Cruciger, quæ nã monimēt a reli-
Plurima, præstanti non renuenda viro. (quit?
Qualis vitā fuit? diuini plena timoris.
Quod munus? populum Christe docere tuum.
Quæ studia? in sacris libris perferre labores?
Quæ mens? digna bono, digna pioḡ, viro.

IOAN. LAUTERBACHII.

Aeterna meditans sedis contingere vitam,
Cogitur innumeras exsuperare cruces.
Caspars Cruciger, Doctor clarissimus, istud,
Ergo non frustra nominis omen habet:
Dum scriptis Christum confessus & ore salutem
In templis docuit sedulus, inque scholis: I iij

*Quas non ille cruces, quæ non mala passus, in astra,
Quò crucis, & mundi vi penetraret onus?
Dum crucis et mundi per onus penetravit in astra,
Cum Christo Cruciger regna beatæ colit.
In Christo cruciger, qui non crucis horret acerba,
Post crucis ærumnas gaudia saluus adit.*

AD AMI SIBERI.

*Iam curis hominum exutus requiescis in urnâ:
Iam vitæ Cruciger te mala nulla premunt.
Felix, cui mortis victorem in morte rueri,
Saluantisq; frui contigit ore Dei:
Dum vixisti, Christum linguâ es calamoq; professus:
In Christum, cecidit nec tua morte, fides.
Ante Deum fulges, cælo ceu Lucifer alto:
Tanta manet doctos gloria, tantus honos.*

N. REVSNERI.

*Tertia lux Idus sequitur quæ mæsta Nouembreis:
Heu fati Cruciger conscia magne tui est.
Cura tibi populum de religione docere,
Atque sacros libros scribere cura fuit.
Leucoris o quantum morientem luxit ad Albim:
Gymnasy cuius doctor, & urbis eras?
Floribus illa tuam memor hic solennibus vrnam
Seruat adhuc, studij pro pietate tui.
At tua fama polo manet æternata soloq;
Et mens ætheriâ viuunt in arce Deo.*